

214

mi principis madianitarum simul cum ipsa interfecit. Princeps lucifer septem habet filias que sunt septem vicia capitalia. scilicet superbia auaricia luxuria ira gula inuidia accidia. has tradidit peccatoribus in conjugium unus habet unam alius duas alius omnes. Quanto autem plures aliquis habuerit. tanto plus habebit de hereditate diaboli. id est de penis inferni. Unde beatus gregorius. li. xiiij. moral. pertractans illud genesis. Pluit dominus super sodomam et gomoram sulphur et ignem sic dicit. Quid in sulphure. nisi fetor carnis. Et quid per ignem nisi ardor desiderii carnalis exprimitur. Cum ergo habitantium sodomis vel gomora carnis scelera decreuisset dominus punire. in ipsa qualitate ultionis notauit maculam criminis. Sulphur quippe fetorem habet ignis ardozem. Quia itaque ad peruersa desideria ex carnis fetore auferant. dignum fuit ut simul sulphure et igne periret. quatinus ex ista pena discerent ex iusto desiderio quid fecissent. Nam per quem quis peccat in hoc mundo per hec punietur et in inferno. Ille quoque discipulus qui allegatur in illo utilissimo libro qui horologiiu eterne sapientie intitulatur vidit in visione sua quod luxuriosi. et qui in delicijs carnem suam enutrierant et in obstinatione sua perdurauerunt. in inferno a serpentibus deuorabantur et a bufonibus. ignitis aculeis usque ad viscera torquebantur. Qui carnali amore dediti fuerant utriusque serus pro libidinosis osculis quibus se inebriauerunt comanducabant linguas suas pro dolore et terrarum infernalium ex nimia pena mordebant. Sed et socias in culpa socias habuerunt in pena cum quibus in foueis metallis bulientibus plenis balneabantur et exilire cupientes absque misericordia a demonibus repungebantur.

Explicit speculum penitentie.

Incipit speculum agonizantis peccatoris.

Eu heu et plusque heu me miser et infelicem peccatorem. qui tot in angustijs et calamitatibus corporis et spiritus me solum reperio et omni humano suffragio destitutum. Nec est ulla creatura sub sole a qua audiam